



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Alii Casus Summo Pontifici intra Italiam reservati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

*Summa Decretorum Sacrae Congregationis super Reservatione,
& Absolutione casuum Reservatorum.*

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium Negotiorum Episc. & Regul. præposita de mandato speciali Clementis Papæ VIII. jubet, & præcipit Sacerdotibus omnibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, ne quis eorum, prætextu privilegiorum quomodolibet concessorum, ab ullo ex casibus in prædicta Bulla contentis vel aliis à Sede Apostolica, vel per Ordinarios reservatis, aut reservandis absolvere præsumat, sub pœna excommunicationis, &c. ipso facto absque ulla declaratione, incurrenda; &c.

Cum autem dubia quædam circa intelligentiam præfati Decreti emerissent, eadem Sacra congregatio de mandato ejusdem Sanctissimi declaravit præter casus in Bulla Cœnæ, & per Ordinarios locorum reservatos, comprehendi sub eadem prohibitionem, & pœna, Violationem immunitatis Ecclesiasticæ in

terminis Constitut. Gregor. XIII. quæ incipit: *Cum alias &c.* Violationem clausuræ Monialium ad malum finem. Provocantes, ac pugnantes in duello juxta Decretum Trid. & Constit. Gregorii XIII. incipit: *Ad tollendam.* Injicientes manus violentas in Clericos juxta Canonem: *Si quis suadente.* Simoniam realem scienter contractam, atque etiam confidentiam beneficalem.

Quod Decretum, ejusque declarationem, nec non censuras, & pœnas confirmat, atque innovat Paulus V. ab omnibusque Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, etiam necessario exprimendis inviolabiliter observari mandat, non obstantibus Privilegiis, &c. Vide meas Decisiones *De Penitentia*, Decis. 46. num. 9. ubi sunt dicta Decreta, & illud Urbani VIII. diei 17. Novembris 1628.

Alii Casus Summo Pontifici intra Italiam reservati.

1. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.
2. Injicientium violentas manus in Clericos.
3. Simonia realis scienter contracta.
4. Confidentia beneficalis.
5. Provocantium, & pugnantium in Duello juxta Concil. Trid. & Constitutionem Gregorii XIII. cujus tenor habetur supra.
6. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ circa fugientes ad Ecclesias, ut jam dicitur.

De Immunitate circa fugientes ad Ecclesias.

1. Gregorius XIV. in quadam Constitutione, quæ incipit, *Cum alias nonnulli, &c.* statuit, ut omnes delinquentes, qui confugiant ad Ecclesias, gaudeant immunitate, exceptis casibus expressis paragrapho 3. cujus tenor est hujusmodi.
2. Ut Laicis ad Ecclesias locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obliant, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.
3. Aut depopulatores agrorum.
4. Qui vel homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur.
5. Aut qui proditorie proximum suum occiderint.
6. Aut Assassini.
7. Vel hæretici rei.
8. Aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.
9. In aliis casibus delinquentes, confugientes ad Ecclesias, gaudent Immunitate. Si

quis verò contra hanc Constitutionem læserit immunitatem Ecclesiasticam, erit casus reservatus Papæ.

SS. D. N. CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ X.

Constitutio, in qua Regularium Privilegia quo ad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.

SUperna &c.

Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint teneri ab Episcopo Diocesano benedictionem petere; Prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tanquam à Sedis Apostolicæ Delegato censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis sel. rec. Gregorii XV. prædecessoris nostri incipientis: *Inscrutabili Dei Providentia*, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, atque rationabili causa contradicere non debere; & hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, vel ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subiectarum, licet clausis januis, & nullus sæcularis ibi inter sit, habere voluerint. Posse autem Episcopum post licentiam concessam Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum